

tas eos compellat : & tunc in propriis personis non puniunt.

XIV. Nec tantum homicidium voluntarium *directe*, id est animo deliberato, & animo directo commissum inducit irregularitatem; sed etiam voluntarium *indirecte* sive in *causa*, ut ajunt, sive quod non est quidem *directe* & ex proposito intentum seu volitum, sed *indirecte* seu in *causa*, ut ajunt quia posuit ejus causam, quam oportuisset ommittere, ne homicidium illud sequeretur.

Ut enim homicidium sit voluntarium in *causa* requiritur, ut causam illam hic & nunc concurrentibus presentibus circumstantiis debuisset ommittere, ne homicidium sequeretur.

XV. Hinc ulterius concluditur, homicidium non semper esse voluntarium in *causa*, quando cumque sequitur ex causa sive actione *illicita*: neque semper esse *merè casuale* aut planè involuntarium, et si prater intentionem *directam* sequatur ex actione ex se licita.

Potest enim contingere, actionem quidem aliquam esse de se illicitam, adeoque absolute fuisse omittendam; sed tamen non ideo omitti debuisset, ne ex ea sequeretur homicidium; ipsumque homicidium huic actioni adeò remote aut infrequenter esse connexum, ut nullatenus ob ejus periculum omitti deberet; homicidiumque ex ea sequutum *merè casuale* respectu ipsius agentis sit reputandum.

XVI. Exemplum obvium est in Clerico venatore. Si enim inter venandum cogitans occidere feram, occidat hominem; idque omnino prater intentionem, ac nihil simile prævidentes, aut prævideri valens, homicidium non censetur ei voluntarium in *causa*; nec consequenter incurrit irregularitatem. Licet enim venatio Clerico sit illicita, eamque omittere debuisset; nequaquam tamen ei interdicta est ob *periculum homicidii*; nec ob periculum homicidii eam omittere debuit potius Clericus, quam laicus.

Clericus verò chirurgiam contra Canonum interdicta exercens, si inde mors alicujus sequatur, tamen prater intentionem, irregularis judicatur, atque homicidium ipsi voluntarium in *causa* esse; eò quod chirurgia Clericis ob *periculum mutilationis & occisionis* specialiter sit interdicta, atque consequenter ob id omitti debuisset.

XVII. Huic fundamento innititur resolutio Pontificis in *Cap. 3. De Homicidio in VI.* "Quod si, qui mandat aliquid, quem verberari, licet expressè inhibeat, ne occidatur ulla tenus vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficiatur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat: quia mandatum hoc ommittere debuisset, ne hoc sequeretur: cum hoc evenire posse debuisset cogitare, ait Pontifex.

Si tamen in primo casu tales essent circumstantiæ, ut salus proximi, ipsaq; Christiana charitas requirent hic & nunc Clerici operam, indubie fieri posset, quod Clericus ob periculum illud, operam suam nequaquam deberet ommittere; ipsaque proinde mors inde prater intentionem sequuta ipsi nequidem esset voluntaria in *causa*, nec per consequens irregularis esset censendus.

XVIII. Ex eodem principio judicandum erit de variis casibus, de quibus à Canonistis ac Theologis queritur, an homicidium ex actione aliqua sequutum sit voluntarium in *causa*, inducatque irregularitatem. Expendendum enim erit, an actio, sive ex se fuerit licita sive illicita, in hisce circumstantiis fuerit omittenda ob periculum homicidii; adeò ut qui in talibus circumstantiis actionem illam ob hoc periculum non omittit, censetur indirectè velle ipsum homicidium, quod ex sua actione sequaturum prævidebar, aut prævideri debebat.

XIX. Quomodo autem homicidium præcisè debeat esse conjunctum alicui actioni; aut quoties ex aliqua actione natum sequi, ut propterea actio illa debeat omitti; aut si ponatur & homicidium sequatur, hoc censetur esse voluntarium in *causa*, generaliter & pro omnibus casibus determinari nequit.

XX. Hoc imprimis certum est, nullatenus requiri, ut homicidium sit voluntarium in *causa*, quòd illum natum sit frequentius sequi ex illa actione, quam non sequi. Fieri enim potest, quòd actio aliqua deberet omitti ob periculum homicidii, tamen ex centum & amplius vicibus homicidium illud non semel ex illa actione natum esset sequi: eò quòd actio nullam aut exiguam habens utilitatem, atque sine difficultate omissibilis, etiam ob minimum homicidii periculum esset omittenda.

Exemplum sit. Pohatur conclave capax continere ducentos homines; sciaturque autem de facto unicum dumtaxat ibidem esse; sed quo loco consistat, nescitur; si quis scienstic unum esse, sed nescius quo loco; atque eo non obstante sine causa, sed petulanter projiciat grandem lapidem ex fornice, nesciens quo loco sit casurus, si incidat in hominem ibi consistentem eumque occidat, erit ipsi hæc occisio voluntaria in *causa*; eò quòd ille jactus lapidis in his circumstantiis fuisset omittendus ob periculum occisionis.

XXI. Econtrariò fieri potest, ut actio aliqua in certis circumstantiis adeò necessaria sit, tantique momenti, ut licet homicidium frequentius ex ea sequi soleat, quam non sequi, nihilominus ob periculum illud omitti non debeat; imò nec possit; ac per consequens nec homicidium sequutum censeri debeat voluntarium in *causa*; quemadmodum rectè observat Eximius D. Huygens in suis Observationibus brevibus *De Actibus humanis cap. 4.* ubi docet ac solide observat ea, quæ notari debeant, ut aliquid dicatur voluntarium in *causa*; & unde illa voluntarietas potissimum desumenda sit; quæ si rite expendantur, faciem ostendent methodum resolvendi difficultates, quæ in hac materia à Canonistis moventur.

XXII. Hoc hic interim notandum, quod licet juxta dicta *capite 1.* irregularitas non incurrat, nisi in casibus à jure expressè, nihilominus tamen, si dubium sit, num quis reus fuerit homicidii aut mutilationis, debeat se pro irregulari gerere, & ut talis ab executione SS. Ordinum abstinere; quemadmodum decedit Pontifex in *Cap. 12. De Homicidio*, huic innixus principio, *quod in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*; & in *Cap. 5. De Clerico excomm. ministr.* eodem adducto principio: *Quia in dubiis via est eligenda tutior.*

XXIII. Ratio hujus decisionis esse videtur, quod regula *capite 1.* assignata procedat in foro externo; hoc est, quod in foro illo nullus debeat censeri irregularis, nisi ob factum cui de jure annexa est irregularitas: neque ut talis haberi, nisi factum illud intervenisse probetur: at ipse cui sua nota esse debet conscientia; atque se ipsum juxta eam judicare tenetur in dubio semitam tutiorem eligere; id est, eam dubii partem, quæ periculo peccandi minus est obnoxia; quemadmodum exponit Fagnanus ad citatum Capitulum 12. *ibid. numer. 7.* deplorans, quod insignem hanc sacrorum Canonum regulam de electione *tutioris* partis complures ex recentioribus Theologis ita extenuent, ut ferè ad nihilum redigere videantur. Quidam enim affirmant electionem *tutioris* partis non esse in præcepto, sed in consilio tantum; quidam dicunt eam habere locum tantummodo in dubio facti, vel personæ, non autem in dubio juris: quidam in dubio juris practico non autem speculativo: alii verò opinantur eam regulam esse restringendam ad limites juris Decretalis, ita ut non procedat nisi in materia irregularitatis: alii demum putant eam non habere locum in opinionibus; nam cum utrimque sunt opiniones æque probabiles, aut una probabilis, & alia probabilior, contendunt licere unicuique eligere quamcumque opinionem etiam, omnia probabiliori, & tutiori. Sed has omnes opiniones, uti improbabiles, & minimè consonas dispositioni sacrorum Canonum, latissimè confutavimus in tractatu nostro, de opinione probabili quem posuimus in *cap. Ne innitaturis, supra de Constitut. præsertim à num. 44.* Hæc ille.

Meri-

Meritò contra perniciosam hanc Probabilistarum doctrinam citatus Fagnanus Commentariis consiluit.

Synodus Tridentina duobus locis hujus irregularitatis meminit atque enormitatem criminis & dispensationis super irregularitate ex crimine hoc proveniente difficultatem proponit.

XXIV. Primò *sess. 14. Cap. 7. De Reformat.* ait: "etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat; qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia; etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat: sed omni ordine, ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat.

Deinde *sess. 24. Cap. 6. De format.* declarans; licere Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, addit hanc clausulam: *Excepta ea qua oritur ex homicidio voluntario.*

XXV. Juxta prius decretum, qui suâ voluntate homicidium perpetravit, tamen illud occultum fuerit, inhabilis declaratur ad Ordines sacros suscipiendos, aut Beneficia quæcumque obtinenda; utque omni ordine, ac Beneficio & officio Ecclesiastico careat, decernitur.

Homicidium voluntarium, de quo hic loquitur Synodus, plerique intelligunt homicidium per *industriam, insidias & ex proposito* perpetratum, atque ita decisum referunt Garcias De Beneficiis *parte 7. cap. 11. numer. 44.* & Barbosa De Officio Episcopi *parte 2. Allegat. 39. numer. 49.* qui & dicunt, resolutum à sacra Congregatione, quod si quis mandaverit alicum verberari cum expresso mandato de non occidendo, aut mutilando, si mandatarius fines mandati excedens occiderit, aut mutilaverit, mandantem quidem incidisse in irregularitatem, sed tamen non censeri voluntarium ad sensum Concilii Tridentini. Imò si quis volens occidere Joannem, occiderit Petrum, esse quidem irregularem, non tamen homicidam voluntarium de quo Concilium: quia scilicet hunc non per industriam & per insidias occidit: quod tamen requiri volunt, ut habeatur homicida voluntarius, de quo in Decreto Concilii Tridentini, & in facti specie resolvit Zypæus *Consult. Unica de Homicidio.*

XXVI. Quidquid sit, hoc satis constat, Synodum Tridentinam optâsse, ut cum homicida voluntario nec ad sacros Ordines nec Beneficia dispensetur; sed ut omni Ordine, ac Beneficio & officio Ecclesiastico PERPETUO careat.

Hic imprimis excludi omnem Episcopalem dispensationem, etiam ad Ordines Minores, ac Beneficia etiam simplicia compertum est.

XXVII. Et quamvis Pontificia dispensatio non censetur omnino exclusâ, ob enixam tamen Synodi voluntatem, ut hujus criminis reus omni Ordine & Beneficio perpetuò careat, Pontifex in dispensationibus hujusmodi concedendis, non parum difficilem se reddit: nimisque ab eis abhorret; cum abominabile sit, quod est undens sanguinem humanum, offerat Sanguinem Christi & Hostiam immaculatam, vel officium Deo ad Altaris ministerium præstet" ait Pyrrus Corradus in Praxi dispensat. *lib. 5. c. 1. n. 3.* Et Fagnanus ad *Cap. HENRICUS De Clericis pugnantibus in duello numer. 41.* dicit, se non meminisse cum promovendis, in homicidio voluntario unquam fuisse dispensatum.

XXVIII. Si petatur dispensatio super homicidio quoad Ordines susceptos, aut Beneficia de facto obtenta, solet supplicia juxta stylum Curie remitti ad Congregationem super Interpretatione Concilii Tridentini; uti notat Pyrrus Corradus loco citato *numer. 13.* ubi ipsæ supplicationes proponuntur, discutuntur & plenè examinantur, ut inde discernatur, an gratia sit concedenda, vel deneganda: quod

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

si videatur concedenda remittitur supplicatio ad *Datariam* cum his verbis in illius calce appoitis, scilicet, *Pideatur concedenda si Sanctissimo videbitur.*

Hæc Pyrrus Corradus, & qui ibidem monet, postmodum Papa annuente expediri commissionem Ordinario, qua ei potestas sit cum Oratore dispensandi; eumque ad Ordines promovendi, vel in susceptis rehabilitandi, juxta tenorem commissionis.

In hac delegationis formula solet apponi hæc clausula: Si narrata vera deprehenderit, *Oratorem, imposita ei aliqua poenitentia salutari & attenta pace, ut præfertur, habita absolvat, secumque, dummodo ad id reperitur idoneus, vitæque ac morum probitas, ac alia virtutum merita, sibi aliis suffragentur, nec aliud Canonicum sibi obstat, ad beneficia & ordines* (vel simplicia dumtaxat, vel etiam majora; item minores vel majores Ordines prout exprimitur) *dispense pro suo arbitrio.*

Pax cujus hic fit mentio intelligitur illa quæ facta est inter homicidam & hæredes defuncti; qua demum facta solet Pontifex dispensare.

XXIX. Porro hic dispensationis stylus primùm inductus apparet ad expediendam dispensationem, seu potiùs commissionem dispensandi super homicidio *quasi casuali* & involuntario conformiter ad Decretum Concilii Tridentini in allegato *cap. 7.* ubi de dispensatione in hujusmodi homicidio hæc habet: "Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & altaris ministerium, & Beneficia quæcumque ac dignitates *jure* quodammodo dispensatio debeat, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitanano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

XXX. Quamvis de jure non videatur ulla irregularitas incurri, si revera homicidium sit omnino casuale, aut contigerit *vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet*, juxta *Clementinam unicam de homicidio*; adeoque nulla dispensatio requiri videatur: tamen quia de enormi ac scandaloso admodum crimine agitur; & facile aliqua in his culpa aut excessus intercurrit, voluit Synodus, ut etiam hic interveniret species aliqua dispensationis, cujus executio Ordinario delegaretur; qua vel irregularitas, si quæ forsitan intervenisset, tolleretur; vel saltem omnibus rite examinatis, declararetur, nullam irregularitatem fuisse contractam: quam tamen declarationem ab Episcopo fieri non vult Synodus, nisi ex commissione Pontificis; atque hoc sensu verum est, quod nec qui casu, vel vim vi repellendo homicidium commiserit, sine licentia Pontificis ad Ordines promoveri queat; quemadmodum notat Pyrrus Corradus *num. 13.* additque: "Quamvis aliquibus Nuntiis, præcipuè Hispaniarum consuevit per Summum Pontificem tribui facultas dispensandi super irregularitate contracta ex homicidio casuali, etiam publico.

XXXI. Et id quidem si homicidium publicum fuerit, aut ad forum contentiosum deductum: quia si homicidium omnino occultum sit, tunc Episcopus sine ulla delegatione aut commissione speciali Pontificis poterit dispensare, modo homicidium non sit voluntarium, juxta Decretum Synodi Tridentinæ *sess. 24. cap. 6. De Reformat.* permittens Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientes, sola illa excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Voluntarium autem non esse, quod sit casu aut vim vi repellendo ob necessitatem vitæ propriæ defensionem, expeditum est: quin voluntarium hic accipi eodem sensu quo accipitur *capite 7. sessionis 14.* resolvit post plures alios Zypæus *Consult. unica de Homicidio*: ideoque si voluntarium non fuerit ad sensum dicti *cap. 7. & occultum* sit, posse Episcopum dispensare.

Pp 3

TITU-